* INDEX EORUM, QUI SCRIPSERUNT CASUS CONSCIENTIÆ.

A S. Raymundus de Penna-Forti.
S. Antonmus Florentinus.
Aſteſanus Aſtenſis.
Bartholomæus Liſanus.
Pacificus, auctor Pacificæ Summæ.
Angelus de Clavaſio.
Ludovicus de Beja.
Lælius Zecchus.
Franciſcus à Victoria.
Baptiſta Tramavala, auctor Roſellæ.
Thomas Cajetanus.
Joannes Tabienſis.
Sylveſter Prieras.
Alexander de Arioſtis.
Bartholomæus Fumus, auctor Armillæ.
Martinus Navarrus.
Joannes Toletus.
B Joannes Chapeaville.
Joannes Aſorius.
Emanuel Sa.
His adde omnes illos, qui ſcripſerunt commentarios in 2. Sancti Thomæ.

* Thermæ.

QUID SINT? EARUMQUE INVENTIO.

THERMAS ἀπὸ τῆς θέρμης, à calore Græci, appellant loca aquas calidas, ſive à natura, ſive ab arte habentia, ſudandi, lavandique uſibus deputata. Unde & ſudatoria, & balnea eadem vocantur, quamvis ab aliis diſtinguantur balnea, & Thermæ. In hoc enim deſcendimus, ut lavemur: ad illas ſudoris gratia accedimus. Thermarum primus inventor eſt Ana filius Sebeon, quem Moyſes *Geneſ.36.* ſcribit inveniſſe aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos patris ſui. Pro aquas calidas, Hebraicè ponitur *Jemim*, quod Vatablus, & alii vertunt mulos: & arripit eam interpretationem Calvinus, ut ſuccenſeat vulgatæ lectioni Bibliorum: verùm interpres noſter
C optimè vertit, nam in lingua Punica, quæ Hebrææ affinis eſt, (jamim) ſignificat aquas calidas. Alias rationes vide apud *Cornelium à lapide Comment. in cap. 36. Geneſis.*

☞ *Sumptus facti in Thermas. Vide Liberalitas ſumptuaria. Prodigalitas.*

THERMAS DEBERE ESSE OMNIBUS COMMUNES.

Et qua ratione exaruerint?

Scribit de communi Thermarum uſu *Phil. Camerarius horarum Succiſ. cent. 2. cap. 69.* hunc in modum. Retulit nobis nuper, inquit, quidam, nonnullas Thermas ſalutares Germaniæ, quas & nominavit, dum non omnibus volentibus uti gratis, exacto pretio permitterentur, planè exaruiſſe: ſublato autem illo iniquo vectigali, vel penſione, conceſſoque libero uſu omnibus, valetudinis curandæ gratia, advenientibus rurſus ex fontibus, uti anteà, copioſè manare cœpiſſe.
D Cùm autem de his ſermonibus cogitarem, fortè incidi in locum Athænei, ubi eadem quoque olim accidiſſe ſcribit, in palude quadam, Alexandri Pyrrhi regis temporibus. Nam fabas Ægyptias per biennium fructum ibi feraciter admodum protuliſſe, & creviſſe. Alexandro poſteà cuſtodiam ſtatuente, neque carpere ſolùm eos, qui cupiebant prohibente, ſed ad lacum etiam accedere, paludem illam exſiccatam eſſe, nec fructum poſteà amplius tuliſſe, quamvis aquam locus habuerit.

Res huic ſimillima fuit (pergit idem Athenæus) & ea, quæ in Edapſo accidit. Ibi enim differens ab aliis aquis, aqua quædam frigida ex fonticulo ſcatens apparuit, non procul à mari, quàm ægri bibentes plurimum juvabantur: qua re efficiebatur, ut multi ex longinquis regionibus illuc ad bibendum accederent. Cùm verò Duces Antigoni regis hanc parcius diſpenſare cœpiſſent, aliam multum differentem bibentibus dari juſſerunt, quo ſtatim fonticulus exaruit.

☞ *Quædam ex Loco de Aqua huc poterunt referri. Et vide lib. 11. hujus operis. Loco de Balneis.*

Theſaurus.

* DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

E THESAURUS, Græcè θησαυρὸς, eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ (per quam intellige quaſcumque opes mobiles) cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat. Ea autem res Dominum non habere cenſenda eſt, quæ ita à Domino eſt abiecta, ut eam in numero rerum ſuarum eſſe nolit. *§. penult. Inſtit. de rer. diviſione*, vel quam Dominus contemnit, & derelinquit, ac ſi nullius eſſet pretii. Immò pro qua recuperanda nullam aut induſtriam, aut laborem impendit. Ita *Navar. l. 4. c. 1. n. 18.*

Etiam nomine Theſauri accipiuntur quævis pecuniæ repoſitæ, aut aliæ opes quæcumque, quarum uſus ad res quaslibet eſſe poteſt. Et transfertur ad quævis repoſita ad hoc, ut conſerventur.

Utramque acceptionem in præſenti conſiderabimus.

* DE ACQUISITIONE DOMINII IN THESAUROS. F

Jure naturali, & gentium theſaurus tranſit in Dominium inventoris occupantis, eſt communis DD. ſententia: quæ enim nullius ſunt, fiunt primò occupantis: at theſaurus in nullius dominio cenſetur.

Theſaurus inventus in proprio fundo totus eſt inventoris. *Inſtitut. de rerum diviſione*, ubi dicitur, theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit, D. Adrianus naturalem æquitatem ſecutus ei conceſſit, qui eos invenerit, *& l. Unica. C. de theſauris*, idem habetur, addita ratione, ne Dei beneficium invidioſa calumnia proſequatur.

Inventus autem in fundo alieno (etiamſi is fundus Principis fuerit) ſiquidem fortuitò ſit repertus, dimidium erit inventoris, & dimidium domini fundi; ſi autem de induſtria quæſitus ſine conſenſu domini, totus erit domini, quod ſervandum in foro conſcientiæ, & jam ante omnem Judicis ſententiam: nam hæc diſpoſitio juris non eſt pœnalis, ſed definitiva proprietatis rerum; *teſte Navar. cap. 17. num. 175. & Cajetan. quæſt. 66. art. 5.* & aliis. Non videtur autem obligare in conſcientia ante ſententiam Judicis; ſed ſufficit dare dimidiam partem domino fundi, parte altera dimi- G dia retenta.

Si verò Dominus conſenſerit, ut quæreret, ſciens, quid ille quæreret, ſtandum eſt pacto, ſi quod initum eſt; ſi autem nullum ſit pactum, totus theſaurus erit inventoris. *Navar. cap. 17. num. 172.* & alii. Ratio eſt, quia tunc videtur illi partem ſuam condonaſſe: niſi fortè invento certò ſciverit ibi latere theſaurum, & ſimulaverit ſe nihil ſcire; tunc enim dominus ita deceptus non cenſetur ei condonaſſe, ut rectè *Sylveſter verbo Inventum quæſt. 3.*

Quando fundus habet duos Dominos, directum, & utilem dimidium erit inventoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo eſt dividendum tanquam inter dominos loci.

Qui ſcit alicubi theſaurum latere, & emit locum, antequam eruat, efficitur dominus totius theſauri. *Navar. num. 175. & Sotius l. 5. de Juſtitia q. 3. art. 3. ad 2.* Idem inſinuatur in parabola Domini. *Matth. 13.*

Si in loco publico, v. g. in flumine, in platea effoſſa, in via publica inveniatur, totus videtur eſſe inventoris; non Principis, vel Reipubl. ita *Covarr. regula Peccatum p. 3. §. 2. num 3.* H citans pro ſe Baldum, Cynum, & alios quoſdam. Ratio eſt, quia Reſp. vel Princeps non eſt dominus talis loci jure dominii ſpecialis, de quo leges loquuntur; ſed dominio juriſdictionis, & auctoritate diſponendi.

TAMERLANES Scytha, cùm iter per Syriam faceret, obtulit ſe ei arator, qui tunc in vas ingens aureæ monetæ arando impegerat. Cùm autem omnes, qui cum Rege erant, Regis aurum illud eſſe dicerent, quoniam inventi, qui occultantur, theſauri, fiſci putantur; juſſit rex monetam inſpici, & ab aſtantibus percontatus eſt, putarentne patris ſui imaginem eſſe, quam pecunia expreſſam habebat. Cui cùm reſpondiſſent, Romanorum Principum effigiem eſſe, tunc reſpondit Tamerlanes: Si ergo hæc pecunia majorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam detulit.

Si theſaurus inveniatur in loco ſacro, vel religioſo caſu fortuito, totus eſt inventoris; ut patet, *§. Theſauros. Inſt. de rerum diviſione.* Intelligendo autem hæc de locis ſacris, & religioſis omninò publicis, quæ in Jure dicuntur eſſe nullius: ſecus de Monaſteriis, & ſimilibus, quæ ſpecialis dominii jure
A poſſidentur.

Si autem data opera inventus ſit in tali loco, dimidium cedet Eccleſiæ. Nam Eccleſia cenſetur dominus talis loci. Unde *ſecundùm legem unicam, C. de theſauris*, debetur ei dimidium.

Si autem per magiam ſit repertus, pertinebit ad Fiſcum: ita communiter Doctores, *ex l. unica. C. de theſauris.*

Non autem tenetur inventor tradere, niſi à Judice compellatur; ut rectè *Nav. num. 175.* cum lex illa pœnalis ſit, & quidem ſententiæ ferendæ, non latæ. Nihil enim aliud dicit Imperator, quam ſe cuique in ſuis locis tribuere facultatem quærendi theſaurum, & invento fruendi, dummodò ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificiis, aut aliqualibet arte legibus odioſa quærat.

Porrò notandum, ea, quæ hìc diximus de Theſauris, procedere ſecundùm jus commune: quod ſi in aliqua Provincia ſint aliquæ leges particulares, vel conſuetudines hac de re juſtæ, ſunt ſervandæ. Quod autem quidam dicunt, conſuetudinem habere, ut Theſaurus ubivis inventus ſit Prin-
B cipis, hoc multi cenſent non obligare in conſcientia, ut *Sil. verbo Invent. n. 13. Sotus lib. 5. de Juſtitia q. 3. art. 3. ad 2.*

THESAURI.

☞ *In loco de Divitiis pleraque. Tit. ſingulari. Inventi. Reperti.*

Cùm Xerxis claſſis ad Chalcidem naufragium graviſſimum paſſa eſſet, Aminocli Cratineo Magneſio valdè fructuoſum fuit hoc naufragium. Nam aliquanto poſt, dum circa Sepiadem humum fodit, multa pocula aurea ejecta, multa argentea reperit, & theſauros Perſarum invenit, mirificèque ditatus eſt, quæ tamen utilitas ei ingrata fuit, ac doloris cauſa, quòd erat filiis orbatus. *Herod. lib. 7.*

Mandrabulus quidam cùm theſaurum reperiſſet, primùm auream ovem poſuit Junoni Samiæ, proximo anno argenteam, tertio æream. Hinc proverbium. Ad morem Mandrabuli negotium procedit, dum in ſingulos dies fit minus,
C ac deterius, atque in tergum retrocedit. *Eraſmus in Chiliadibus.*

De Theſauro invento extat Græcum Epig. Platonis, vel Antipatri, *lib. 1. Epigrammatum.*

χρυσὸν ἀνὴρ ὁ μὲν εὑρὼν, ὅδ᾽ ὤλεσεν ὧν μὲν εὑρὼν,
ῥῖψεν ὅδ᾽ οὐχ εὑρὼν. ἧψεν ὃν εἶδεν βρόχον.

Auſonius in Epigrammatis ſic interpretatus eſt:

Theſauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non reperit aurum.
Quem laqueum invenit, nexuit, & periit.

Idem aliter.

Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum,
Theſaurique loco depoſuit laqueum.
At qui condiderat, poſtquam non reperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

CN. POMPEJO contra Domitium cum ſex legionibus in Africam à Sylla miſſo propè Carthaginem ajunt rem accidiſſe ridiculam. Inciderant Milites aliquot in theſaurum, ac magna vi argenti erant potiti. Re vulgata locum eum alii omnes
D exiſtimaverunt argenti plenum eſſe, per ſuperiores Pœnorum clades ibi reconditi. Nihil igitur uti Pompejus militibus potuit per multos dies, Theſauros ſcrutantibus: ſed obambulavit ridens, cùm contemplaretur tot millia in fodiendo, & vertendo campum occupata; quoad depoſita ſpe, dixerunt Pompejo, duceret, quo liberet, ſatis ſe pœnarum dediſſe ſtultitiæ ſuæ. *Plut. in Pompeii vita.*

BONOSUS Tarentinus, vir inſolitæ ſtaturæ, ductus in Germaniam ex Italia obſidis loco à Pipino rege Franciæ, & Marſilio Suevorum duci donatus, cùm in Germania manere vellet, ab eodem totum tractum, qui à Bibraco uſque ad lacum Federſee extenditur, accepit: cùmque in uxorem duxiſſet Montfortiam volens ædificare caſtrum, ahenum vas auro, argentoque plenum in uxoris præſentia reperit, ideòque caſtrum illud Keſſelberg nominavit, à quo etiam ipſe, & poſteri nomen titulo comitum acceperunt. *H. Henninges in Geneal.*

Propè Devam, Transſylvaniæ urbem, in vetuſta arce paucis abhinc annis, poſt diuturnos imbres, & inundationes, ſub arbore vetuſtate exeſa ingens theſaurus, ſolaribus radiis aurum admirando fulgore detegentibus, repertus eſt à Ruſticis. Serpens aureus tanquam cuſtos appoſitus erat, quem occiſo Georgio Monacho Ferdinandus Imperator accepit. Numiſ- E mata aurea tres aureos coronatos noſtrates pendentia, innumera, Lyſimachi regis Thraciæ imaginem, averſa parte Victoriam præferebant. Ditati inde ruſtici. Quod ſuperfluit ruſticis, 20. millium coronatorum æſtimationem adæquavit, & à Joan. Bapt. Caſtaldo archiſtratego ad Ferdinandum regem tranſmiſſum fuit, circa annum Salut. M. D. I. cum duabus imaginibus aureis, Nini, & Semiramidis, Carolo V. dono datis. Centum millia coronatorum theſaurus iſte ſuperavit. *Aſcan. Cent. lib. 4. Com. belli Transſylvaniæ.*

Cùm Venetiis fundamenta novæ Eccleſiæ S. Laurentii jacerentur, operarii invenerunt capſulam ligneam, carie, & antiquitate penè conſumptam. In ea inventa eſt arcula plumbea magnitudine brachii humani, antiquiſſimis plena numiſmatibus aureis. Antequam aperirent, ad architectum detulerunt; is eam aperiens, & tot numiſmata inveniens, lætus ſilentium ab operariis ſtipulatus eſt, ipſaque numiſmata inter ſe diviſerunt, arculam autem ipſam in aquas abiecerunt. Intereà bajulus quidam, qui etiam aliquot ex iſtis numiſmatibus acceperat, neceſſitate rei domeſticæ compulſus, accepto uno, aut alte- F ro aurifabrum accedit, ſciſcitans quantum pro ſingulis vellet numerare. Aurifaber videns ſingularem eorum antiquitatem, imaginem quoque, & inſcriptionem nunquam anteà viſam (ab uno enim latere vexilla conſpiciebantur tria, in quorum ſummitate crux erat, ab altero nihil præter litteras aliquot Chaldaicas conſpiciebatur) admiratus, unum, aut alterum emit. Hoc modò detectum negotium ad aures Senatorum pervenit: qui confeſtim miſſis ſatellitibus ſuis architectum cum reliquis operariis comprehenderunt, & in carcerem compegerunt. Examinati poſteà, rem omnem ordine confeſſi ſunt: arculam ſe inveniſſe plumbeam, in capſula lignea, eam habuiſſe inſcriptionem marmoream: inſcriptione duo expreſſa capita humana, coronis inſignita. In arcula præter numiſmata inventa nonnulla ſcripta in menbrana, litteris planè ignotis, & antiquiſſimis. Omnia ſe præter aurum in aquam abieciſſe, ne qua oriretur ſuſpicio. Dolenda profectò tantæ antiquitatis jactura. Contigit id anno 1593. *Ma. Janſonius 6. Hiſtor.*

Novi nobilem quendam (inquit, *Philip. Camerar. hor. ſubciſivar. part. 1. cap. 63.*) qui in bello illo, quod Cæſar Carolus G V. cum Principibus Germaniæ noſtro tempore geſſit, metu hoſtium pretioſiores ſuas res, in amne quodam propè arcem ſuam, quem ad hoc à ſuo curſu averterat, effoſſo ſpecu veluti in loco abſtruſo, & tutiſſimo occultaverat. Poſt aſſumptis omnibus, qui hujus rei gnari eſſent, in tuta loca ſeceſſerat. Sed tanta fuit ſagacitas Hiſpanorum, ut neſcio qua arte, illas res indagarint, & iterùm averſo amne abſtruſa, & demerſa ibi expiſcati ſint. Eademque ratione pecuniam, aliaſque res non ſolùm in illo bello defoſſas, ſed multis ſæculis antè occultatas, & vetuſtate propemodùm conſumptas, invenerunt.

Simili felicitate in eruendis abſtruſis rebus uſi ſunt Hiſpani paulò antè in Comagra Inſula Indiæ Occidentalis. Cum enim Comacus unus ex regulis iſtius loci, quos Cacicos vocant, in arundineto lodices, ſtragulas, fictilia, & lignea vaſa, & ampliùs duo mille, & quingenta pondo auri laborati, ne in manus Chriſtianorum veniret, abdidiſſet; Indos captivos tormentis faterì, & prodere ea coegere.

Eandem fortunam Turcæ occupata Conſtantinopoli habuere. Tantos enim theſauros, tam novos, quàm veteres eruere, ut æſtimationem excedant. Ideòque rectè quidam exclamat. O Græci jam miſeri, & miſerabiles, qui inopiam finge- H batis! ecce jam in lucem venerunt theſauri, quos pro urbis ſubſidio denegaſtis.

RICHARDUS Rex Angliæ immenſum theſaurum à Nobili, quodam in proprio fundo repertum vi occupare conatur. Cùm autem Canlacum, vel Chalunum Lemovicum urbem, in quam is nobilis cum theſauro profugerat, obſideret, & oppugnaret, venenata ſagitta in ſiniſtro brachio ictus eſt, quo vulnere ex negligenti curatione paulò poſt obiit.

Continent autem Annales Franciæ, in hoc theſauro fuiſſe ſtatuam cujuſdam Imperatoris, cum conjuge, & filiis filiabuſque, ejus ſtaturæ, ſicut in illa ætate fuerunt, aſſidentes menſæ omnia ex ſolido auro, unà cum inſcriptione, eorum nomina, & quo tempore conflata iſta fuerint, continente.

Felicior fuit in eruendis theſauris Tiberius Imperator Græcus. Is enim, cùm crucem in pavimento, ne pedibus calcaretur, pio ſtudio auferre juſſiſſet, non ſolùm præter ſpem immenſum theſaurum ibi defoſſum invenit, ſed etiam Narſetis theſaurum, quem ante mortem ſuam domi ſuæ occuluerat,

inter-

interfectis omnibus conſciis, excepto tantummodò puero, quem, ne cui id, quod fecerat, indicaret, jurejurando obſtrinxerat, eruit. Nam defuncto Narſete, puer is ſenex effectus, locum in quo tanta vis auri, & argenti defoſſa erat, Imperatori indicavit. *Aimoinus, lib.3. c.19. de geſt. Franc. Paulus Diaconus lib.3. cap.6. de geſt. Longobard.*

Detecti, Proditi.

Parias portitor Ithacenſis. ☞ *Vide locum de Divitiis, Tit. Theſauri inventi, detecti.*

Galliæ barbarus, quidam. ☞ *Vide eumdem locum.*

Decebalus Dacorum rex pluribus præliis victus, regnoque, & regia exutus, ne vivus veniret in hoſtium poteſtatem, ſibi manum intulit, Trajanus Imp. regiis theſauris potitus eſt, quos ille in imo Sargeriæ, vel Sargetiæ flu. alveo barbarico aſtu defoderat. Corrivato enim fluvio, qui regiam urbem perſtringebat, terraque altiùs defoſſa, theſauros in imam ſcrobem conjecit, ſaxaque ſuperimpoſuit, ita compacta, ut ne humectari quidem poſſet quidquid infra conderetur: mox amnem in priſtinum alveum reduxit: captivos, quorum opera in ea re uſus fuerat, ad unum interficit. Bicilis æqualis amicus regis, & cui uni omnia ſua conſilia Decebalus credere erat ſolitus, poſt illius interitum Trajano aurum patefecit. *Sabel. lib.4. Enn.7.*

*Mortuo Alarico Gothorum rege apud Conſentiam in Calabria, Gothi ejus ſepulturæ occultandæ cauſa, juſtam Italorum, quos is læſerat, iracundiam veriti, opus inſigne moliuntur. Quippè Buſentem amnem oppidum ipſum præterfluentem, magno militum labore aliò averterunt, ac locum ſepulchro in medio alveo ſuffoderunt, atque ibi cadavere cum multis opibus condito, deinde amnem in ſuo ire flumine permiſerunt, & ne locum, quis ſcrutari poſſet, captivos, qui notaſſe illum locum oculis poterant, occiderunt. *Sigon. lib.11. Imp. Occident.* Eandem hiſtoriam recenſet *Pandulph. Collenut. recenſet in hiſt. Neapolit. lib.2.*

Alfonsus Vaſtium Davalus, Cæſaris Caroli V. exercitus adverſùs Hariadenum Barbaruſſam, Tuneti tyrannum, imp. capto Tuneto cum parva manu, ad arcis, à ſervis Chriſtianis, quos Barbaruſſa comburere paulò antè decreverat, occupatæ portam acceſſit, & à ſervis Chriſtianis, qui ſe jam in libertatem vindicarant, cum inſigni gratulatione receptus eſt. Inſpectanti autem barbaricas opes, & totum arcis apparatum, ſervus Ligur abſconditæ pecuniæ latebras indicavit. Demerſerat enim Barbaruſſa in ciſternam ad triginta millia nummorũ aureæ monetæ, pluribus inſutæ culeis. Hoc expiſcatus Vaſtius, à Cæſare prædæ, donativique nomine, ut ſibi concederentur, facilè impetravit. De ſe enim omnibus bellis optimè meritum, & ex natura liberalis ingenii inter Principes ejus ætatis maximè largitorem, eo munere digniſſimum exiſtimabat. *Jovius lib.34. Hiſtoriarum.*

☞ *Vide Divitiarum locum. Rapti, Erepti aliis.*

Aureum vellus Argonautæ, duce Jaſone Colchis eripuere, Medeæ regis Æetæ filiæ proditione. ☞ *Vide locum allegatum de divitiis.*

In Toloſano Galliæ oppido, à Q. Cepione direpto, inventa ſunt auri pondo cx. millia, argenti pondo quinquies decies centena millia. *Plinius.*

Longinus Exarchus, extinctis Helmige, & Roſimunda, quæ poſt cædem Alboini mariti Longobardorum regis cum theſauro Ravennam confugerat, filiam ejus Albiſindam Conſtantinopolim miſit, atque ipſum Longobardicum theſaurum ex Italica fermè cladè collectum hoſtilis prædæ loco adiecit. Quæ res gravem aliquantum Juſtini Imp. ex amiſſa Italiæ poſſeſſione dolorem levavit. *Sigon. l.1. reg. Ital.*

Carolus Burgundus victus ad Nanceum oppidum ab Helvetiis, & caſtris exutus, partam anteà gloriam magnis gerendis rebus amiſit. ☞ *Require de Divitiis Titul. Theſauri Erepti aliis.*

☞ *Vide Tit. Depeculatorum, Furum, Sacrilegorum. Item Titulum Prædæ, Submerſi.*

Christophorus III. Bavariæ dux, Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ rex dictus, venit in Sveciam regio apparatu, ut regem ſe meminiſſent habere. Sacris ritibus de more peractis ubi proceres convivio pro more accepiſſet, jam rebus omnibus compoſitis, cùm omnia in naves reportarentur, comportati ſunt etiam theſauri regii, à tot annis collecti. Navigatione in Daniam inſtituta, exorta tempeſtas ſæviſſima naves regias variè jactavit, unam, quæ aurum, & argentum ultrà c. millia cum cæteris regii apparatus inſignibus vectabat, in oculis ſuis mergi rex ipſe conſpexit. Ita non ſolùm inde non auctus opibus rediit, verùm etiam plurimis, quas regno intulerat, amiſſis: multò major jactura in amicis. *Grantzius lib.3. Sveciæ cap.38.* Mira Sveciæ fortuna: non patitur exportari theſauros. Si ſinunt homines, mare prohibet, ſi pacatum eſt mare, homines vetant. *Idem lib.8. Daniæ, cap.24.*

Vindicati.

Fridericus II. Danorum rex, dum è Norvegia patriam parum proſpera navigatione repetit, ignotæ inſulæ littoribus appulſus, theſaurum occultum effodere, cuſtodemque ejus draconem vitandi veneni gratia bovino tergore tectus appetere, cujuſdam per quietem conſpecti monitu edoctus fuiſſe ſcribitur. *Saxo.*

Hadingo, Danorum regis filius Froto ſucceſſit. Qui cum paterno theſauro bellis abſumpto, ſtipendiorum facultatem, qua militem aleret, non haberet, monſtrato ſibi à Mago theſauro inſulam ſolus profectus, draconem à fonte ſpecum repetentem, ſub imo tandem ventre notato loco confodit, & auri vim maximam abſtulit. *Saxo lib.2.*

☞ *Vide locum ſuperiorem de Divitiis.*

* THESAUROS INVESTIGANDO DELUSI.

Nero theſauros Libycos, animo ſuo, incerti auctoris vana perſuaſione conceptos neutiquam invenit, immò perpetuam notam infamiæ, & levitatis contraxit. Sed ut ea res rectiùs cognoſcatur, audiamus *Suetonium, & Cornelium Tacitum*, qui librum Annalium xvi. ab exceſſu Cæſaris Auguſti ita incipit: Illuſit dehinc fortuna Neroni per vanitatem ipſius, ex promiſſo Cecellii Baſſi, qui origine Pœnus, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem, ad ſpem haud dubiam retraxit. Vectuſque Romam, Principis aditum emercatus, expromit repertum in agro ſuo ſpecum, altitudine immenſa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniæ, ſed rudi, & antiquo pondere. Lateres quippè prægraves jacere, aſtantibus alia parte columnis, quæ per tantùm ævi occulta, augentur præſentibus bonis. Cæterùm, ut conjectura demonſtret, Didonem Phæniſſam Tyro profugam, condita Carthagine, illas opes abdidiſſe, ne novus populus nimia pecunia laſciviret, aut Reges Numidarum, & aliàs infenſi cupidine auri ad bellum accenderentur. Igitur Nero, non auctoris, non ipſius negotii fide ſatis ſpectata, nec miſſis viſoribus, per quos noſceret, an vera aſſererentur, auget ultro rumorem, mittitque, qui velut partam prædam adveherentur. Dantur triremes, & delectum navigium juvandæ feſtinationi. Nec aliud per illos dies populus credulitate prodentis diverſa fama tulerat. Ac fortè quinquennale ludicrum ſecundo luſtro celebrabatur, oratoribuſque præcipua materia in laudem Principis aſſumpta eſt. Non enim tantùm ſolitas fruges, nec metallis confuſum aurum gigni, ſed nova ubertate provenire terras, & obviàs opes deferre eas. Quæque alia ſumma facundia, nec minore adulatione ſervilia fingebant, ſecuri de facilitate credentes. Gliſcebat interim luxuria ſpe inani, conſumebanturque veteres opes, quaſi oblatis, quas multos per annos prodigeret. Quin & indè jam largiebatur, & divitiarum expectatio inter cauſas paupertatis publicæ erat. Nam Baſſus effoſſo agro ſuo, latiſque circum arvis, dum hunc, vel illum locum promiſſi ſpecus adſeverat, ſequunturque non modò milites, ſed populus agreſtium efficiendo operi aſſumptus, tandem poſita vecordia, non falſa ante omnia ſua, ſeque tunc primum eluſum admirans, pudorem, & metum voluntaria morte effugit. Quidam vinctum, ac mox dimiſſum dicunt, ademptis bonis in locum regiæ Gazæ.

Non omittam, quæ apud Nicaraguenſes in India Occidentali evenere. Trigintaquinque mill. intervallo abeſt Legione (civitas ea eſt; ubi Epiſcopatus ſedes à Franciſco Fernando condita) mons flammivomus, qui per ingentem craterem tantos ſæpè flammarum globos eructat, ac evomit, ut noctu latiſſimè ultrà centum millia paſſuum incendia reluceant. Nonnullis fuit opinio, intus liquefactum aurum eſſe perpetuam ignibus materiem. Itaque quidam Monachus, cum ejus rei periculum facere vellet, ahenum, & catenam ferream fabricari curat: moxque in montis jugum, cum aliis quatuor Hiſpanis aſcendens, catenam cum aheno in caminum demittit, ibi ignis fervore ahenum cum parte

catenæ

catenæ liquefactum eſt. Ille Legionem recurrit, fabrum incuſans, qui catenam tenuiorem, quam ipſe juſſiſſet, eſſet fabricatus. Faber aliam multò craſſiorem excudit. Montem igitur repetit, catenam, & lebetem demittit, res priori incepto ſimilem exitum habuit: nec tantùm reſolutus lebes evanuit, verùm etiam flammæ globus repentè è profundo exiliens propemodum & fratrem, & ſocios abſumpſit. Omnes quidem adeò perculſi ſunt reverſi, ut de eo incepto exequendo nunquam deinceps cogitarent.

Anno M. D. XXX. Præſtigiatori cuidam theſauros dæmon Norimbergæ oſtenderat. Hos cum loco profeſſo ante urbem quæreret, adhibito amico quodam ſuo, etiam in ſpecu arcam vidiſſet, atque ad eum cubantem canem nigrum; ingreſſus præſtigiator in ſpecum opprimitur, interficiturque ruente cacumine, & ſpecum rurſus complente.

* THESAURI LUCULENTI, ET MEMORABILES.

Poſſent ad hunc titulum transferre ea, quæ in *loco de Pecunia, & RedditUum opulentia* fusè dicta ſunt. Cùm facilè ex iiſdem ingens theſaurus conflari valeat apud eos, qui ibidem memorata poſſident. Cæterùm Theſaurum, quem Reſpublica Veneta in æde S. Marci auro fulgida reconditum ſervat, & Principibus eò venientibus, velut opulentiæ ſuæ teſtimonium oſtendere ſolet, præterire non poſſumus, verbis *Philippi Camerarii ex Cent.1. horar. ſucciſ. cap.64.* eundem deſcribam, ut qui ad eum videndum cum Frederici Imp. Legato ſe admiſſum teſtatur, & non ſine ſtupore ſpectaſſè. Vidi, inquit, præter gemmarum vim aliis, atque aliis operibus, duodecim aureas coronas, ac thoraces totidem immenſa gemmarum multitudine munitos, quarum fulgor non minus mentem, quàm oculorum perſtringebat aciem: lebetes ad hæc ex pretioſiſſimis lapidibus, quorum teſſerulæ annulis inſertæ magno ſoleant pretio æſtimari: tabernacula, candelabra, & alia plura ſacrorum inſtrumenta, in quibus materia, quæ aurea erat, ob reliquum apparatum, qui diverſis gemmarum coloribus micabat, penè ſordeſcere videbatur. Tranſeo Monocerotis eorum, immenſi, ut ajunt, pretii, Principis inſulam, atque alia opera, & multa, & eximia, quæ ibidem viſenda proponuntur.

Quibus alii addunt catenam ex ſolido auro ingentis ponderis, plura deinde auro, gemmiſque maximi pretii fabricata: &c. quibus Reipublicæ ſplendor, & collecta aliquot ſæculis opulentia luculenter demonſtratur. Nihil tamen reconditæ pecuniæ ibi eſſe affirmatur à Commæo hiſtorico, qui theſaurum hunc ſpectavit.

Hanc autem tam ingenti cumulo nonnunquam coacervaſſe ferunt quendam Fredericum Saxoniæ ducem, ut turrimatis capacem Imperialibus daleris conſarcinaverit.

Sunt etiam hodiè inter Principes nonnulli, qui rerum quarumvis toto orbe advectarum, omniumque artium opera, ac monumenta, quæ dato ære comparari ab homine poſſunt, in deliciis habent, ac immenſi theſauri inſtar, quomodo Imperator Rudolphus II. nuper vita functus, in conquirendis picturarum exquiſitiſſimarum tabulis multum deſudabat. Alii gemmarum præſtantiam, aut alia rerum pretia ſectantur.

Meminit Ezechiæ Regis Iſaias, quòd Legatis Babyloniis oſtenderit theſauros ſuos, quos etiam patres ipſius theſaurizaverant, propter quam oſtentationem à Domino corripitur, *capite* 40.

* QUI A THESAURIS PECUNIARUM COLLIGENDIS ABSTINEANT?

Refert *Philip. Cominœus lib.2. de bello Neapolit.* cùm apud Rempublicam Venetam legatum ageret, ſe ex Duce intellexiſſe, apud eos capitale cenſeri, ſi quis de pecuniarum theſauro colligendo referat, idque vitandæ omnis contentionis, & ſimultatis gratia. *Thomas Morus in Utopia* tradit, Macarenſibus ſolemne eſſe, ut Rex eorum auſpicaturus principatum, jurejurando ſe ſolemniter adſtringat, nunquam ſe ultra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantum auri illius pretium æquet. Judicant enim talem theſaurum ſufficere Regi adverſùs rebelles: & regno adverſùs hoſtes. Verùm illud regnum feliciſſimum æquè ac prudentiſſimum judicavere, quod tempore pacis de bello cogitat, ſibique de belli nervo ante bellum proſpicit.

Thracum Legiſlatores.

☞ *Vide Locum de Lege.*

REGES.

☞ *Vide Magiſtratum Chronologicè conſideratum.*

Thus.

QUID SIT, EJUSQUE GENERATIO.

Thus eſt lachryma arbuſculæ, quam ſola Arabia progignit, quæ inſtar ſpumæ pinguioris condenſatur, Deorum ſacrificiis, & templorum ſuffimento dedicata. Colligitur autem hyeme potiſſimùm, aut vere, ſed illud ſubrufum eſt. Quod verò æſtivis caloribus concoquitur, & in autumno colligitur, exciſa cortice arboris odoriferæ, candidum eſt, & puriſſimum. Vocis originem petunt à Græco verbo θύειν, quod eſt ſacrificare. Varro verò ſine aſpiratione effert, & à tuſis glebis dictum exiſtimat.

LOCUS UBI.

Quamvis Arabia Thure gaudeat, præſtantiſſimum tamen in Sabæa illius regione fertiliſſima reperitur. Unde Virg.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Adſtipulatur S. Scriptura. Omnes de Saba venient, aurum, & Thus deferentes

Minus præſtans eſt, quod in Moravia, Ruſſia, & aliis locis reperitur. ☞ *Vide locus materialiter conſideratus §. Myrrha, Thus.*

USUS.

Thus ex communi hominum ſenſu, Deo, eique ſoli adoleri ſolet, neque enim hominibus adoletur, præterquam in ſolemni officio divino, in quo & altaris miniſtri, & qui officio interſunt, ex ritu Eccleſiæ thurificantur, cùm propter ipſius officii, quod Deo impenditur venerationem: tùm propter ſignificationem. De qua paulò poſt.

Præcepit in veteri lege Deus offerri ſibi ſacrificium ex farre, quod ſacrificium Mincha Hebræi vocant, ut conſtat *Levit. cap.2.* hoc eſt, ex frumento, ſimila eaque, ſive cocta, ſive pura, ipſique ſimilæ vult ſuperponi thus, ut etiam ſuavis odor ſit ſacrificio, atque illud totum adoleri ſibi voluit.

Sic apud *Ovid. lib.14. metamorph.* legimus.

Templa tibi ſtatuam, ſolvam tibi Thuris honores:

Quaſi dicat: Thure te, ut Deum colam, & venerabor. Unde idem *lib.2.* inducit Terram ad Jovem querelas ſuas deferentem, ac cum eo expoſtulantem, propter incendia per Phaetontem excitata. Et inter alia ait:

Hoſve mihi fructus? hunc fertilitatis honorem,
Officiique refers? vobis quòd thura miniſtro, &c.

Eaque de cauſa nonnullis Thusè θύειν, id eſt, ſacrificando deducunt, quòd Thus Deo ſacrificari, & inter ejus ſacrificia adhiberi ſoleat, ita tres Magi Chriſtum adorantes *Matth. 2.* thure Chriſto puero oblato, ejus divinitatem ſignificarunt, & profeſſi ſunt, ut docent S. Ambroſius, Baſil. Greg. Hier. & *Juvencus* dum canit:

Thus, aurum, myrrham regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

Cenſent nonnulli olim à priſcis hominibus in ſacrificio oblatam fuiſſe Deo odoratarum arborum evaporationem, quàm Græci Thymiaſin vocant. Unde derivata ſit θυσία, ſive ſacrificium, eo quòd prima θυσία, ſeu primum ſacrificium fuerit thymiaſis, id eſt, thurificatio, & odorum incenſio.

Verùm thus à vetuſtiſſimis adhibitum fuiſſe in ſacris negat Arnobius; nam Heroibus Hetruſcis, Romulo, & Numæ thurificationem ignoratam ſed extra obſervata, deinde aſſa, vel elixa Diis cremari ſolita legimus, idque ex Apulejo docet *Gyrald. ſyntagm.* 17. Neque id mirum, cùm tam longè diſtarent ab Arabia, quæ ſola thuris eſt ferax. Ergo inventum thuris Deo offerendi Moyſi, immò Deo præcipienti *Levit.2.* eſſe adſcribendum: verſabatur enim Moyſes cum Hebræis in Arabia.

SYMBOLA, ET SIGNIFICATIO.

Tropologicè thus, & thurificatio ſignificat opera ſancta, fervore charitatis, quaſi liquefacta, & fumigantia, quæ in igne ejuſdem charitatis adolentur Deo, ideòque odorem emittunt ſuaviſſimum, Deoque gratiſſimum.

Secundò, Thus ſignificat virtutem religionis, & orationis. *Pſ.146.2.* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.

tuo. Unde in ſacris adhibetur thurificatio, ut præſentes mo-
A neantur devotionis, & orationis internæ, ita Iſychius, Radulphus, Beda, & alii.

Tertiò, Thus ſignificat odorem bonæ vitæ, thus, ait *S. Cyrill. lib. 12. de Adoratione*, & ſimila oleo madens, odoratam illam, nitidamque vitam innuunt.

* Thymiama.

Definitio, & Etymologia.

THymiama ἀπὸ τοῦ θυμιᾶν, ab evaporando, & ſuffitum excitando, dicitur quivis ſuffitus ſuavis odoris, ſive ſuffimentum ex rebus odoriferis commiſtum, quod adhibetur ad graveolentiam, aut loci alicujus fœditatem auferendam. Olim Deo offerebatur. Unde & pro thute nonnulli accipiunt, quòd ſoli Deo, uti ſuprà diximus, adoletur: adeòque uſus obtinuit, ut cùm de adolendo thymiamate loquimur, id intelligamus de adoletione, quæ Deo fit. Cujus rei indicium eſt altare, ſive ſacrificium thymiamatis, quod Deus per Moyſem olim *Exod.*
B 30. ſibi adoleri jugiter, & accendi quotidiè manè, & veſperi juſſit, ut conſtat *verſ.* 8.

Sacrificium thymiamatis.

Inter alia Sacrificia umbratica veteris legis erat ſacrificium Thymiamatis, quod quotidiè Deus offerri ſibi voluit, de thymiamate non quovis, etiamſi foret pretioſiſſimum, ſed de illo, quod ipſe præſcripſerat. Ut dicemus ſtatim, hinc legimus *Exod. 30. verſ. 9.* Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius; ſcilicet induſtria, aut ſumptu compoſitum.

Porrò oblationis Thymiamatis modum, & ritum hunc tradidit *Abulenſis quæſt. 7. in Exod.* Primò ibat Sacerdos ad altare holocauſtorum, ex cujus cornibus pendebat thuribula, igniumque receptacula, indeque capiebat unum thuribulum, atque in eo prunas ignis, quas ex altari holocauſtorum accipiebat, reponebat. Deinde intrabat ſanctum, ibique accipiebat thymiama ex thuribus, quæ erant ſuprà menſam panum propoſitionis, illudque imponebat ſuo thuribulo, & igni: mox hoc ſuum thuribulum cum igne, & thymiamate
C ponebat ſuper altare thymiamatis, atque ibidem adolebatur, & comburebatur thymiama: quo conſumpto tollebat Sacerdos ſuum thuribulum, atque egrediens extra caſtra illud evacuabat, cineresque mundos effundebat: ac denique referebat thuribulum ad altare holocauſtorum, ſuſpendebatque rurſum ex cornibus illius, unde illud ſuſtulerat.

Compositio veteris thymiamatis.

Non quodvis Thymiama Deo offerendum erat in altari thymiamatis, ſed quale ille fieri præceperat *Exod. 30. verſ. 34.* ubi jubet thymiama hoc confici, & commiſceri ex ſtacte, onycha, galbano, & thure. Sicut enim Deus paſci voluit victimis anthropopathôs, ita voluit & recreari odoribus, itaque placari: quia iræ, & indignationis indicium eſt in naribus. Unde *Job. 41. 11.* dicitur: De naribus ejus procedit fumus, nares autem mulcentur ſuavi odore. Unde hic placationis aptum eſt ſymbolum. Ita *Arias Mont. & Alcazarius in Apoc. 5. verſ. 8. not. 3.*

D Eſt autem Stacte lacryma myrrhæ. Galbanum verò ſuccus eſt, ait *Dioſcor. lib. 3. cap.* 81. ferulæ naſcentis in Syria, quem nonnulli metopium vocant: maximè laudatur carnblaginoſum, & pingue (unde fortè Hebraicè vocatur, חלבנה *chelbana* חלב *cheleb* enim ſignificat pinguedinem) Galbanum menſes, & partus trahit, vel appoſitu, vel ſuffitu; adverſatur toxicis, necat ſerpentes, devoratur ad tuſſim veterem, difficultatem ſpirandi, aliaſque ſedandas. De Galbano ſcribit & *Plinius lib. 12. 25. & lib. 24. 5. & Galenus lib. 8. ſimpl. medicam.*

Onycha, inquit Gloſſa, oſtreola parva redolens inſtar unguis humani. Equidem puto onycham eſſe illam, quam Dioſcorides unguem odoratum vocat, *lib. 2. cap. 8.* dicitque eſſe conchylii thumentum in nardiferis Indiæ paludibus, ideòque ſuavem ſpirare odorem, eo quòd conchylia inibi nardi pabulo veſcantur, odoris gratia ſuffitur onycha, ſed nonnihil caſtoreum olet, intellige cum Mathiolo, ſi partibus ejus tenuibus odoratis exhalatis, teſta relicta cremetur, nam alioqui de Onycha ſic canit *Propert.*

Et crocino nares myrrheus ungat onyx.

Onycham Pharmacopœi vocant blattum Byzantium, *teſte Amato, & Mathiolo in Dioſcoridem.*

Usus illius.

Item Abuſus Vetitus.

E

Præcepit Deus thymiama, de quo ſuprà, fieri diligenter, & purum, & ſacrificatione digniſſimum, id eſt, tale, ut dignum ſit, quod Deo offeratur, & accendatur. Et addit ſuprà verſ. 36. Dumque in tenuiſſimum pulverem univerſa contuderis, ut perfectior nempè fiat commiſtio, indeque odoratius thymiama.

S. Gregorius in fine lib. 1. moralium. In tenuiſſimum, inquit, pulverem aromata univerſa conterimus, cùm bona noſtra, quaſi in pilo cordis, occulta diſcuſſione tundimus, & ſi veraciter bona ſint, ſubtiliter retractamus. Hinc apud veteres Cor in thuribulo poſitum hieroglyphicè ſignificabat orationes preceſque puro, humili, contrito, & ardenti corde prolatas ad Deum, *inquit Pierius Hierogl. 34.*

Pones ex eo (thymiamate) coram tabernaculo teſtimonii, putà in altari thymiamatis, quòd eſt coram, vel ante tabernaculum teſtimonii, id eſt, ante Sanctum ſanctorum. Duplex enim erat quaſi tabernaculum, ob duas ejus partes, unum vocaba- F
tur Sanctum, alterum Sanctum Sanctorum, de ſecundo verò loquitur Scriptura.

In quo loco (putà in tabernaculo jam dicto, id eſt, in Sancto Sanctorum) apparebo tibi, Sanctum Sanctorum (id eſt, ſanctiſſimum) erit hoc thymiama.

Quanta verò reverentia iſtud Thymiama haberi velit, quantumve ſcelus reputetur illo abuti in uſus profanos, tradit ſequentibus Deus, cùm concludendo dicit: Homo quicunque fecerit ſimile (thymiama) ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis: Hebraicè eſt, Exſcindetur de populis ſuis, quia ſcilicet Deus illum, ut inobedientem, & ſacrilegum, occidet plaga aliqua hujus vitæ, aut certè in gehenna, ut æternaliter ipſum puniat. Sic enim è contratrio, aggregari ad populum ſuum, ſignificat jungi conſortio Sanctorum, & Beatorum. Vetuit Dominus ſub tam gravi pœna, ne quis in uſus prophanos adhibeat compoſitionem thymiamatis, adhoc, ne res ſacræ, & res templi profanarentur, aut Eccleſiaſticum miniſterium vileſceret, & contemneretur.

Symbolum, et Significatio.

G

S. Gregorius lib. 1. moral. 39. Thymiama, ait, ex aromatibus compoſitum facimus, cùm in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus.

Commodè etiam per thus religionem, orationemque acceperis; per ſtactem mortificationem, per galbanum (utpotè calidum, & pingue) charitatem, & miſericordiam, per onycham (utpotè colore ſimilem ungui, & odore nardo) caſtitatem.

S. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ, ante medium: Thymiama hoc, inquit, eſt corporis ſanctimonia per temperantiam, & frenum rationis in corpus, quod quatuor elementis conſtat; ſtacte ad aquam refertur, thus ad aerem, onyx ad terram ob ariditatem, galbanum ad ignem ob calorem perfervidum. Hæc ergo inter ſe contemperat, & moderatur ſanctimonia, quaſi thymiama factum. Maximè verò thymiama eſt oratio.

Ad hoc Thymiana alludens *S. Joan. Apoc. 58.* ait, ſanctis illis quatuor animalibus datas fuiſſe phialas plenas odoramen- H
torum, quæ ſunt orationes Sanctorum. *Et cap. 8. verſ. 3.* Data ſunt, ait, illi incenſa multa.

Orationes autem Sanctorum comparantur hîc ſuffitui non cuivis, ſed odoramentorum. Primò, quia oratio inſtar thuris ſurſum aſcendit. *Pſalm. 140.* Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Secundò, quia ſicut thus eſt odoratum: ita orationes Sanctorum Deum oblectant. Tertiò, uti thus fœtorem, ita oratio peccatum abigit. Deique iram mitigat. Quartò, thymiama fiebat ex aromatibus contuſis: ſic oratio ex animo mortificato, & humili procedere debet. Quintò, thymiama in igne adolebatur: ita oratio in igne tribulationem exardeſcit. Unde *Cantic. 4.* ait ſponſa: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

* Timi-

* Timiditas.

A

* Definitio, & Etymologia.

TImiditas, quam δειλίαν, id eſt, ignaviam vocat Ariſtoteles, eſt vitium oppoſitum fortitudini, eſtque exceſſus in timendo, & defectus in audendo, ut rectè Ariſtoteles *lib. 3. Ethicor. cap. 7.*

Quando quis timet, quod non oportet, vel quando non oportet, vel pluſquam oportet: vel aggredi non audet, quando ratio dictat, aut ſicut illa dictat. Eaque conſideratione apud Latinos vocatur ignavia: priore verò Timiditas. De qua re *Cicero lib. 4. de finib.* Ex rebus verò timiditas, non ex vocabulis naſcitur.

Opponitur huic vitio Intimiditas ἀφοβίαν, quaſi timoris vacuitas, eaque ſimul adverſatur fortitudini, cujus eſt nonnunquam excitare timorem, ut malum declinetur, quando ſcilicet vires ſuperat, nec eſt ratio, juſta cur ſuſtineatur, quale malum eſt terræ-motus, fulmen, naufragium, magna vis hoſtilis, &c.

B

Timiditas, et ignavia in propulsando, ratione habita eorum, qui propulſant.

Timidi Populi.

Spartani ante Cleomenem, Leonidæ F. qui Lycurgi leges reduxit, uſque adeò fuerunt degeneres, & ad ſemetipſos tuendos enerves, ut quinquaginta millia mancipiorum incurſantes in Laconiam abduxerint Ætoli. *Plut. in Cleomene.*

Myſorum populus uſque adeò fuit vilis, & contemptus, ut ſequenti proverbio locum fecerit, Myſorum poſtremus. Finitimorum incurſationibus malè vexabantur. Hinc orta parœmia, Myſorum præda: de his, qui impunè à quibuſlibet læduntur, ac diripiuntur. *Eraſm. in Adag.*

Rhegini in rebus bellicis ignaviſſimi. Hinc adagium, Rheginis timidior.

Alexandri victorias Gentium victarum luxus, & mollities promovit. Diverſa longè futura ratio, ſi in Occidentem con-
C verſis armis, Romanos hoſtes habuiſſet. De qua re elegantem comparationem inſtituit Livius, & paucis repetit *Sabellicus lib. 5. Enn. 4.*

Reges.

Agamemnoni non omnia dediſſe Superos, dignitatem quidem regiam, fortitudinem non item, Diomedes, Iliados 1. aſſerit:

Σοὶ καὶ διάνδιχα δῶκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
Σκήπτρῳ μέν τοι δῶκε τετιμῆσθαι περὶ πάντων,
Ἀλκὴν δ᾽ οὔ τοι δῶκεν, ὅτε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Theodahatus Gothorum rex perfidè occiſa Amalaſuenta uxore, Theodorici F. à qua in regni, thorique conſortium acceptus fuerat, à Juſtiniano Imperatore idcirco bello petitus fuit. Capta proindè à Beliſario Neapoli, cùm Petrus Juſtiniani legatus inſtaret acriùs, & Theodahato graviora minaretur, niſi Juſtin. ſatis feciſſet: ille metu perculſus, atque attonito ſimilis, voce amiſſâ, non aliter, ac ſi bello captus eſſet, remotis arbitris, Petrum ſeduxit, & ſe, ſi pacem habuerit, hæc omnia Juſtiniano præſtiturum promiſit. In primis ſe Sicilia
D univerſa ceſſurum, illique coronam auream trecentarum librarum in ſingulos annos daturum: Gothorum tria millia ad ejus arbitrium ſummiſſurum: ipſius, aut ſenatus injuſſu neminem, aut vita, aut facultatibus mulctaturum: neque ad Patriciatum, aliamve dignitatem aliquem producturum, ſed eam poteſtatem ab Imperatore poſtulaturum: populi Romani in ſolemnibus acclamationibus priùs nomen Imperatoris, deinde Theodahati in omnibus locis, quibus res tulerit, proditurum: ſtatuam nullam ſibi, niſi altera Imperatori non ponatur, poni paſſurum, ita ut dextram Imperator, lævam ipſe obtineat, atque his compoſitis, Petrum dimittit. Illo inde profecto, metus inceſſit, ne, ſi conditiones illas Juſtinianus abnueret, bello ſe protinùs oppugnaret, quare Petrum jam, mare tranſgreſſum, revocavit, ac præſentem, Num conditiones illas Juſtinianum accepturum putaret? rogavit. Petro verò ambigere ſe dicente: Quòd ſi non accipiet, inquit, qui rerum exitus erit? Tum Petrus: Armis res erit decernenda. Theodahato verò id parum æquum eſſe innuente: Atqui cur non eſt æquum, inquit, ut ſua quiſque ſtudia perſequatur, & ut tu mortem hominibus inſontibus infers, ſic ille imperio ſuo vicinas regiones adjungat? Quibus verbis Theodahatus permotus, Italiam ſponte ſe dimiſſurum oſtendit; in idque E
& ipſe, & Gudila uxor ejus Sacramentum concepit, Petrumque jurejurando adegit, ut priùs primas conditiones Juſtiniano exponeret: deinde, ſi eas reſpuiſſet, ad ſecundas tranſiret. Veritus inde, ſi ſine magni viri auctoritate res ageretur, ab Imperatore ne ſperneretur, in eam legationem Agapetum Pontificem deſtinavit. Recuſanti verò, ac difficultates domeſticas afferenti, & ipſi, & ſenatui ita ſcripſit, ut ſe eos, & uxores, liberoſque eorum gladio perempturum minatus ſit, niſi Imperatorem ab exercitu in Italiam traducendo averteret. Agapetus igitur profectione ſuſcepta in colloquium cum Imperatore congreſſus, priores conditiones propoſuit. Quibus à Juſtiniano repudiatis, alteras has cum his litteris protulit, quarum Procopius meminit: Ad regnum ego non alienus acceſſi: ſi quidem ex rege avunculo natus ſum. Verùm rei militaris imperitus, ac bellicorum tumultuum inſuetus, ut qui me diù in literarum ſtudiis exercuerim, atque in eis ſtudium meum omne conſumpſerim. Ex quo mihi turpe exiſtimo, pro terreſtris imperii poſſeſſione dimicationem vitæ, libertatiſque ſubire. Quamobrem ſi mihi prædia, unde me F
alere honorificè poſſim, elargieris, totius tibi Italiæ adminiſtrationem remittam: &, cui tu juſſeris, tradam. Qua conditione accepta, Juſtinianus Athanaſium, & Petrum ad eum legavit, atque ita reſcripſit: Sapientem te eſſe anteà fama deferente acceperam, nunc reipſa doctus intelligo, cùm ancipites belli vitare caſus decreveris: quos, qui non horruerunt, plerùmque fortunæ ludibrium præbuerunt. Quòd verò nos amicos potiùs experiri, quàm hoſtes volueris, haudquaquam tui te conſilii pœnitebit, nam omnia, quæ poſtulas, impetrabis. Tu cum Athanaſio, & Petro pacta conficies, Beliſario verò poſſeſſionem Italiæ trades. Legatis præterea mandavit: ut, pactis Sacramento firmatis, Theodahato prædia Imperatoris, quas Patrimonium dicerent, aſſignarent, eumque in manus Beliſarii Italiam permittere procurarent. Intereà cùm Gothi Mundum Juſtiniani ducem cum Mauricio F. in Dalmatia victos occidiſſent, Theodahatus oratores, qui à Juſtiniano miſſi cum acceptis conditionibus venerant, negligere cœpit, vel naturali ingenii inconſtantia motus, vel à ſuis ſpe Italiæ retinendæ inflatus. Petro autem jurganti, ac perfidiam identidem intonanti, ferociter reſpondit, Se tamdiù legatis G
parſurum, dum legatorum officio fungerentur: legatum autem violare tùm demùm fas eſſe, cùm regem contumelia provocaret, aut alienum cubile iniret. Cui legati, quæ in rem eſſe viſa ſunt, reſponderunt (nam quod de tentata aliena pudicitia injecerat, id non ad veritatem, ſed ad quærendam honeſtæ cædis occaſionem dixerat) ac mox Juſtiniani literas ad Gothorum principes miſſas, ipſis jubentibus recitarunt, in quibus maximæ ille ſibi curæ fuiſſe ſignificabat, ut eos ad ſuam rempubl. moreſque traduceret, qua ex re illos non mediocrem voluptatis fructum capturos conſideret, quòd cùm dignitatis amplificatione ad ritus ſibi notiſſimos tranſituri eſſent. Quibus auditis, Theodahatus omninò ſe nihil præſtare velle promiſſorum ſubiecit, ac legatos cuſtodiri cum cura præcepit. Capta inde à Beliſario Neapoli, Gothi, qui circum Romam erant, mirari primùm, quòd Theodahatus adeò ignavia obtorpuiſſet, ut nullo modò his tantis malis occurreret: deinde ſuſpicati, ne is Italiam Beliſario prodere cogitaret. Itaque, conſilio capto, in locum non longè à Circeiis ſe contulerunt, ibique convocati, omnibus probris in Theodahatum congeſtis, Vitigem regem ſibi depopoſcerunt, vi- H
rum non ſummo loco natum, ſed rebus militiæ benè geſtis ſpectatum. Qua re audita, Theodahatus exanimatus repentè Roma Ravennam ſe contulit. Vitiges autem extemplo Optarum Gothum privata Theodahato ſimultate infenſum cum parata ſatellitum manu immiſit, qui illum, aut vivum ad ſe adduceret, aut morte afficeret. Is profectus, atque illum in itinere in ſolo reſupinatum adeptus, tanquam victimam, interfecit. *Sigonius lib. 17. occid.*

Duces.

Argyrrius exercitus dux quiſpiam effeminatus, & cinædus, nihil habens viri præter barbam. *Eraſ. in Adag.*

Aratus Sicyonius, ut conſiliis polluit, ſic in aperta acie timidus fuit. Itaque adverſarii per ludibrium alvum commemorabant prætori Achæorum inſtanti prælio moveri: ſopore, & vertigine eum, ſimul, atque cæpiſſent canere tuba, corripi ſolitum: cùm aciem inſtruxiſſet, & ſignum dediſſet pugnæ, rogaſſetque præfectos ſuos, & ordinum ductores, nunquid præſentia ſua ſit opus (nam jactam eſſe aleam) ſecedere præſtola-

ſtolaturum procul eventum. Hæc fama uſque eò valuit, ut A Philoſophi quoque in ſcholis quærentes, cordis tremor, & coloris variatio in præſenti periculo timiditatis ſint, an intemperiei ſigna, & frigoris nativi: ſemper appellarent Aratum ut inſignem, quidem Imperatorem, ſed cui hæc in certaminibus acciderent ſemper. *Plut. in Arato.*

Basiliscus Leonis I. Imperatoris exercitui contra Genſericum Vandalum Africæ occupatorem præfectus, mille navium claſſem ducebat. Genſericus contra, Baſiliſci ſive ignavia, ſive tarditate, ſive improbitate erectus, omnes quas potuit naves armavit, atque alias militibus implevit, alias in ſpeciem vacuas produxit, ut propè conſiſtentes, munitiones, atque inſtrumenta neceſſaria miniſtrarent; ac ſimul legatos ad Baſiliſcum miſit, rogatum, per dies quinque prælium prorogaret, ut interim conſilium expediret, cederene Imperatori, an repugnare deberet: idque, præbita, ut fama fuit, pecunia, impetravit. Ubi verò ſextus dies deſtinatus illuxit, copia pugnæ facta, in aciem prodiit. In ipſo certaminis ardore Baſiliſcus primus cum prætoria navi ſe dedit in fugam: quo facto, ſuorum animos, licet pugnandi avidos, ita debilitavit, ut ſtatim B exemplo ejus pugnam intermittere, ac de fuga cogitare inceperint. Quibus rebus animadverſis, Genſericus eò ferocius in hoſtes invectus, pleroſque aut captivos fecit, aut occidione occidit: præda navium, hominumque, atque inſtrumentorum ingens parta. *Sigon. lib. 14. Imp. occid.*

Julius Vitellius, cùm Urbini, ubi à Laurentio Medice præſidio erat relictus, tria millia peditum exactis civibus coegiſſet, defenſionemque contrà Franciſcum Mariam Feltrium paterni imperii oppida, quibus à Mediceis dejectus erat, armis repetentem pararet: concurrentibus ad arma feminis, & paucis ſenibus, Feltrianoque milite ad portas clamorem extollente, fœdiſſimè ſeſe, atque urbem dedidit, Laurentianis militibus vita impetrata, ita ut exuti armis extra fines pellerentur. *Jovius in Leone X.*

PROPULSANTUR. TIMIDI IN propulſandis, ſuſtinendis Dæmonibus, Ludibria, et Terriculamenta illorum nimium timere.

☞ *De tentationibus hîc agimus, quatenus terrent hominem.* C *Quatenus decipiunt, & ad varia peccata homines impellunt, ad impietatem, ad impudicitam, ad avaritiam, ad alios locos pertinent.*

Hostibus.

☞ *De Metu hoſtium, tanquam de Actu, egimus loco de Hoſtibus. Huc eadem exempla transferri poſſunt, quatenus ratio affectum non moderatur. Sed & ex Tit. Victoriæ illuſtris, ab hoſtibus capti Monomachiæ. Strages memorabiles, Metum hoſtibus iniicere, exempla poterunt. Victor enim victi victor eſt: & ubi victoris illuſtris exemplum recitatur, ibi etiam victi. Declinatio nimia ad hunc quoque locum poteſt referri, quatenùs non futura tantùm declinantur, ſed & præſentia non propulſantur.*

Expectare hostem, sed cum timore.

Iſraelitæ, quamvis multis à Domino miraculis confirmati eſſent, tamen cùm perſequentes ſe Ægyptios viderent, vehementer timuerunt. *Exod.* 14.

D Achaz rex Judæorum, cùm Razin Syriæ, & Phaceam Iſraelitarum reges contra ſe conſpiraſſe audiviſſet, animo non aliter commotus eſt, quàm vento moventur ſylvarum arbores; nec quamvis confirmanti Iſaiæ Prophetæ credere voluit. *Iſaiæ* 7.

C. Martio Coriolano exule, Volſcorum exercitum contra urbem ducente, tanta repentè trepidatio Romanos invaſit, ut plebs, quæ paulò antè communibus ſuffragiis eum perpetuo damnarat exilio, reditum ei decreverit, & contra patritios plebi repugnantes ſeditionem moverit. Tandem obſeſſi à Martio omni ſpe abiecta, Volſcis ne occurrere quidem ſuſtinentes legatos ad eum de pace miſerunt. Quibus re infecta dimiſſis, Sacerdotes cum ſacris Romanis ei obvios miſere. At cùm ne iſtis quidem moveretur: tandem Romanæ matronæ cum Volumnia Martii matre, & Vergilia ejus uxore, in caſtra profectæ, quod viri armis nequiverant, lacrymis ſuis vix obtinuere. *Plut. in Coriolano.*

Sollicitarunt pleræque gentes Romana arma, nonnullæ etiam diù exercuerunt. Soli omnium Galli, feroci, & invicto alioqui populo, ſupra quàm dici poſſit, terribiles extitere. Id natura gentis in ferrum præceps, an caſus captæ urbis fecerit, haud facilè dixerim. Poſt captam urbem, quòd ſatis E conſtat, ad omnes Gallorum motus, non Romæ ſolùm, ut in cæteris bellis, ſed tota etiam Italia ſemper eſt tumultuatum: habuiſſeque Romani dicuntur, quàm jam eorum opes longè latèque pollerent, aurum in hos bellorum caſus ſanctius repoſitum, & in militaribus vacationibus dandis, vel ipſis Pontificibus (ut in Camillo, & Marcello teſtatur Plut.) ſemper Gallici tumultus excipi conſueverunt. Nec vanus talis metus. Cùm nulla unquam gente Rom. populus intra extraque Italiam, majore hominum ſtrage, majoribuſque ducum, & exercituum periculis bellavit. Tradunt Romani rerum ſcriptores quidam, centum Gallorum millia aliquando una acie cæſa, quo apparet indomita bello ingenia, ſcire tantùm vincere, aut mori. Nulla itaque gens Italiæ formidoloſior, nulla majores ipſi terræ intulit clades. Certarunt Rom. cum finitimis populis de principatu, cum Carthaginenſibus de imperio, cum Gallis de vita ſemper, quoad noviſſimis temporibus à C. Cæſare, qui poſteà Dictator fuit, multis cladibus fracti, jugum accepere. Quo ſæpiùs deinceps excuſſo, factum eſt, ut Auguſto principe, aliiſque Cæſaribus, qui poſt illum F ſunt rerum potiti, crebrò in ſe Rom. arma irritarint. *Sabell. lib. 1. Enn. 2.*

L. Æmilio, C. Attilio Coſſ. cùm Galli adventare dicerentur, ne quid non ad præſens periculum avertendum adhibitum videretur, Sybillino carmine moniti Rom. duos Græcos virum, & uxorem, duoſque Gallos vivos in foro Boario defoderunt, dirum ſacrorum ritum, & Romanæ civitati inſuetum. *Sabell. lib. 9. Enn. 4.*

Cùm Hannibal ad urbem adventaret, tantus eſt in Rom. civitate terror exortus, ut matronæ in publicum effuſæ, delubra deorum, & ſacras aras ſparſis crinibus verrerent, ſubnixæ genibus ſupinas tollerent ad cœlum manus, orantes, ut urbem Romam, civitatemque incolumem ſervarent. *Sabellicus lib. 5. Ennead. 5.*

Anno 1544. Carolus V. Imp. Imperii, & Angli viribus ſubnixus, Galliam invaſit. Galliæ rex, quòd Helvetii nondum advenerant, prælium declinabat: & Cæſar promotis caſtris, nemine reſiſtente, Caſtroteræum venit, caſtellum Theodorici vulgò vocant, ad Matronam flumen, ab urbe Lutetia non bidui via poſitum oppidum. Et quamquam erant in caſtris Cæſaris legati regis Galliæ, de pace miſſi: Cæſar tamen G progrediebatur nihilominus, & cùm jam hucuſque perveniſſet, incredibilis fuit orta Lutetiæ trepidatio, fugiebant omnes, qui paulò eſſent lautiori fortuna, nec regis edictis fugam prohibentis contineri poterant, & fex modò hominum manebat: itaque periculum erat, ne ab his urbs omnium longè maxima, & in primis opulenta diriperetur. Eorum, qui dant operam literis, ingens eſt ibi numerus, ex omni ferè Europa: hi quoque fugiebant, & alioqui rex edixerat, ut omnes externi confeſtim diſcederent, capitis denunciata pœna. Fuit hoc initio Septembris. *Surius in Comm. rer. in orb. geſt.*

Non aggredi hoſtem, non repellere.

Iſraelitæ cœleſtium immemores operum, quia exploratores in Channanæam terram miſſi, omnia dura, & hoſtilia referebant, in luctum, & mœrorem verſi, Moyſem expeditionis ducem inſequebantur, ut vanum, & delirum, ſuam deteſtantes ſtultitiam, qui tantùm uni credidiſſent? ſatiùs fuiſſe in H Ægypto ſervire, ubi ad ſatietatem carnibus veſcerentur, quàm inedia, & bellorum injuria in deſertis confici, alienaque terra extingui. Invidioſa querela, & execrabilis, in eo præſertim populo, qui toties manifeſta cœli providentia præſenti eſſet periculo ſervatus. *Sabellicus libro quarto, cap. 7. ex Deut. 1. Numerorum 13. & 14.*

Gedeon Iſraelitarum dux, cùm haberet in exercitu ſuo triginta duo hominum millia, & formidoloſis copia daretur remigrandi domum, reverſa ſunt ex Populo viginti duo hominum millia. *Judicum 7.*

Poſt pugnam ad Salaminem, victo Xerxe, contigit, ut neque Barbari ſuprà Samum, Heſperum verſus navigare auderent, metu perterriti: neque Græci Chiorum rogatu auroram verſus ultra Delon. Ita timor medium eorum tuebatur. *Herod. lib. 8.*

Macedonas pugna cum Poro reddidit ſegniores, repreſſitque, ne peterent ulteriorem Indiam. Cùm enim ægrè pepuliſſent illum, qui viginti millia peditum, & duo millia equitum in aciem adduxerat: obnixè reluctati Alexandro ſunt,

ſunt, ſuperare contendenti etiam amnem Gangem, cujus acA cipiebant latitudinem duorum, & triginta ſtadiorum eſſe, & ulnarum centum profunditatem: ripas ulteriores peditum, equitum, elephantorumque agminibus coopertas. Siquidem fama tenebat, octoginta equitum millibus, ducentis peditum, curruum octo, & elephantorum bellatorum ſex millibus, munitos Gandaritarum, & Præſiorum reges ſibi eum operiri: neque ea vanè jactata. Androcottus enim, qui non multò poſt regnavit, elephantos Seleuco quingentos dono dedit, & ſexenis millibus militum Indiam peragrans, omnem redegit in poteſtatem. Hic primùm animi mœrore, & ira tabernaculo incluſus abjecit ſe in terram, pœnitebatque eum rerum perpetratarum, niſi Gangem ſuperaret, & pro confeſſione, victum ſe eſſe, habebat reditum. At ubi amici eum prout res erat, ſuadentes, aſſiſtenteſque foribus, cum planctu, & ſtrepitu milites ſupplices oraverunt: infractus paravit ſe ad reditum, multaque fucata, & commentitia eſt machinatus, quippè grandiora arma, & equorum præſepia, frænaque fabricatus ponderoſiora, reliquit & diſſeminavit. Poſuit prætereà deorum aras: quas hac quoque memoria Præſiorum reges traB jecto flumine venerantur, immolavitque hoſtias ibi Græco ritu. *Plut. in Alex.*

Aratus Scyonius ad bellum, & certamen timidus, atque animo imbecillus apertè committendum, ad urbes verò, & tyrannos clam ſurripiendos, contechnandoſque inſidiator callidiſſimus. Quapropter eum, qui præter expectationem præclarè multas, quæ tentare fuit auſus, confecit: non pauciora apparet, quæ effici poterant, minus audenda depoſuiſſe. *Plut. in Arato.*

Brutus, & Cassius cùm contra Cæſarem conſpiraſſent, Ciceronem tamen, cui cùm fidebant plurimùm, tum diligebant ſummè, celaverunt de conſilio: ne ad inſitam timiditatem adjungens ex ætate ſenilem cautionem, mox ſingula æſtimando ad ſummam exigens ſecuritatem, alacritatis ipſorum aciem, quæ celeritatem requirebat, perſtringeret. *Plut. in Bruto.*

Adducta in poteſtatem omni Circumpadana Italia, Conſtantinus Magnus rectà, cum toto exercitu Romam verſus ire perrexit. Maxentius autem tyrannus hæc audiens, non ſolùm urbe, ſed etiam parietibus ſe tenebat, aut prodigiis, aut infauC ſtis fortunæ ſuæ præſagiis territus: non in campum ire, non exerceri armis, non pulverem pati ſtudebat: tantùm in Palatio ambulabat, aut in hortos Saluſtianos ſe conferebat, & his deliciis turpiſſimam ſuam formidinem contegebat. Non enim ſe imbellem, ſed beatum, non inertem, ſed ſecurum videri volebat. Quoties milites in concionem vocabat, ſe ſolùm cum illis Imperatorem, alios per limites pro ſe militare jactabat: Ac ne tum quidem, cùm adverſa ſuorum prælia ad Taurinum, Brixiam & Veronam audiit, obviàm ire contendit, cùm Pado limite, aut Apennini jugis uteretur, ſed literas cladium ſuarum indices ſupprimebat, interdum etiam palàm, ut uſque ad portas veniretur, optabat. Interim Conſtantinus exercitum ad Tiberim amnem adduxit, atque ibi caſtra fecit. Ceterùm nullis hoſtilibus copiis occurrentibus vehementer animo doluit, verens, ne Maxentius intra urbem incluſus obſideri ſe pateretur, nam omni Africa exhauſta, omnibus inſulis exinanitis, infiniti temporis annonam congeſſerat. Ipſe verò ab obſidione urbis abhorrebat, ne Romanos, quorum incolumitati conſulebat, graviori aliqua calamitate afficeret. Inter hæc Maxentius Palatio migravit, & D cum uxore, ac filio in privatam domum, quaſi ſe abdicaret Imperio, ſponte abiit. Poſt biduum demum, qui dies erat 8. Calend. Oct. pridie, quam ſeptimum Imperii ſui annum iniret, magicis præſtigiis ſuis fretus, cùm 160. millibus peditum, XIIX. equitum Tiberim trajecit: prælioque facto, per pontem fugiens, in Tiberim præcipitatus periit. *Sigon. lib. 2. Imp. occid.*

Belisarius Ravennam obſidere parans, Magnum cum modico exercitu præmiſit, ut alteram ripam Padi aſſervaret, ne Gothi commeatum ſubvehere poſſent: deinde alteram Vitali cuſtodiendam dedit, mox ipſe Ravennam acceſſit. Interim Gothi contractas in Liguria naves rebus neceſſariis repleverunt, ut eas Pado Ravennam adducerent: ſed deficiente (quod nunquam antè acciderat) aqua, detenti cum oneribus à Romanis oppreſſi ſunt. Inde flumen navigabile factum: eaque res miraculi loco eſt habita. Quin etiam cùm horrea plena frumenti Ravennæ eſſe didiciſſet Beliſſarius, cive quodam corrupto, illis incendium inferri curavit. Fama tamen fuit Mataſventæ reginæ imperio deflagraſſe. Eo facto, Gothi à Deo potiùs ſe quàm ab hominibus oppugnatos arbitrati, ſeſe Beliſario dediderunt. *Sig. lib. 18. Imp. occid.*

Albertus Claudius Auſtriæ dux, Tigurinos, qui ſe E Helvetiorum fœderi anno 1351. conjunxerant, obſidebat Caroli IV. Imperatoris, & Suevorum auxiliis inſtructus. Res ſpectabat ad prælium. Suevi ex veteri privilegio, quod à Carolo Magno Geraldus dux obtinuiſſet, primæ aciei honorem ſibi vindicabant. Carolus IV. cùm ſibi ob dignitatem deberi: at Auſtriacus ſuum eſſe dicere, cujus nomine ſcilicet ea ſuſcepta eſſet expeditio. Intereà vident Helvetios in ſubſidium Tigurinis venire: & verborum omiſſa contentione, fuga ſibi conſulunt. *Stumpfius lib. 6. Helvet. cap. 9.*

Aggredi, ſed timidè.

Videns Judas Machabæus, quòd fuiſſet exercitus ſuus perculſus animo, in bello cecidit. Nec legitur idem Judas aliàs in bellis, vel alibi timuiſſe. 1. *Macbab. 9.*

Egregiè expreſſit Homerus timiditatem Paridis, qui in prælio non ſolùm eminus vulneravit Diomedem, ſed in inſidiis ſtans, poſt columnamque in ſepulchro poſitam, tectuſque demum illa, tanquam aggere quodam, jecit in ipſum ſagit- F tam. Unde ſummus Poeta de illo inquit cognoſcente fortiſſimum virum à ſe perculſum, ἐκ λόχου ἀμπήδησε: affectus enim lætitia incredibili, Paris, intelligenſque ſibi amplius nocere non poſſe heroem illum, tardatum vulnere, ſe ipſi oſtendit, quod certum indicium eſt ignavi militis, ac glorioſi. *Victorius lib. 26. Var. lect. c. 20.*

Neclan Boemiæ dux, ab Uladislao Lucenſi principe patruele ſuo regni cauſa bello petitus, pacem demiſsè per legatos petiit. Illo verò magis magiſque inſoleſcente, vi ad arma pertractus, cùm præſentiam ejus omnes deſiderarent, & vates etiam victoriam ampliſſimè pollicerentur, more tamen ſoricis, in conſpectu felis apparere non audentis, in tabernaculo deliteſcebat. Tandem Syderium à Chaynovo equitem ſtrenuum, qui facie ei ſimilis equo, & armis ſuis inſtruxit, qui perſonam, & nomen principis gerens, omnes ducis partes in prælio obiens, victor periit. *Dubravius lib. 3.*

Victoriam non perſequi.

In Carolo Simplice præclara illa Caroli Magni ſoboles planè degeneravit apud Francos. Unica Lotharingia recepta clarus, cæterà ignavus, cùm Germanis magis, quàm ſuis ſeſe crederet, magnam ſibi ipſi flammam invidiæ apud Francos conflavit, ita ut ad æmulum regni Robertum Magiſtrum equitum inclinarint, eumdemque Rhemis inaugurari curarint. In Sueſſionum finibus commiſſo prælio, Robertus victor cæditur. Simplex ſublato licèt æmulo, in morem victi animum demiſit: oratoreſque aliquanto poſt ad hoſtes, Hebertumque hoſtium principem miſit propè ſupplices, ac alteros ad Henricum Germanorum regem, qui Lotharingiam ei redderent, novaque auxilia peterent. Hebertus ad ſe accerſitum in ſpeciem, ſpemque rei Franciæ componendæ, Peronæ carceri incluſit, anno 924. ut regni jure cedere ſe in procerum concilio profiteretur, illudque dono daret Rodulpho Burgundiæ regi, Ricardi filio. *Æmilius lib. 3.*

Asprandus, tutor Luitperti regis Longobardorum, pueri ab Ariperto occiſi, cum aliquot annos in Bajoaria exulaſſet, ad Aripertum regem ulciſcendum idoneo exercitu accepto, papiam progreſſus, prælium cum eo intrepidè occurrente commiſit, quod nox magna utrinque edita cæde diremit. Ariper- H tus, quanquam conſtabat, Bajoarios eo prælio fuſos, victoſque ceſſiſſe, tamen non in caſtra ut victor, ſed quaſi victus in urbem refugit. Quare cum ſuis metum, hoſtibus audaciam injeciſſe videret, conſilium cepit in Franciam abeundi, atque auro, quàntum potuit ferre, è regia ſumpto, clàm ex urbe exceſſit. Verum in tranando flumine pondere auri, & fluminis unda oppreſſus, indigna morte occubuit. Cadaver ejus poſtridiè inventum, & in regiam relatum, in baſilica D. Salvatoris ſepultum eſt. *Sigon. lib. 2. regni Ital.*

Feris, Belluis.

☞ *Conſule Titulum, Regiones ferarum incurſu infeſtæ, & deſertæ: quatenus ab ignavis non propulſantur.*

Timor.

* Definitio, et Etymologia.

Timor Græcè: φόβος, Hebraicè *Charadbab.* à rad. *Charadb.* trepidavit; Eſt fuga mali imminentis, cui ægrè reſiſti poteſt,

poteſt, ſenſu, aut intellectu apprehenſi. Eſtque paſſio ſpecialis inter reliquos animi motus, partis cùm ſenſitivæ, tùm intellectualis. Conſiderat autem Theologus Timorem, prout malum quod refugit, habet aliquem ad eum reſpectum, ſive ut illud infligentem, aut prohibentem, ſive ut terminum, ad quem timore mali alicujus convertimur, aut ab eo avertimur, eſtque hoc modo donum Spiritus ſancti.

Etiam nonnunquam Timor Domini accipitur pro reverentia, pietate, & religione in Deum: quomodo Simeon dicitur vir juſtus, & timoratus *Lucæ c.*2. quia ſollicitus, & ſedulus circa illa, quæ ad Deum pertinebant. Quin Deus ipſe Timor vocatur: *Geneſ. cap.* 31. Juravit Jacob per timorem patris ſui. *verſ.* 43. q. d. Deum quem coluit Abraham, & quem timuit Iſaac, tanquam numen ſupremum. Sic *Iſaiæ cap.* 8. *verſ.* 13. Deum vocat terrorem, & pavorem Iſrael, quem ſcilicet Iſraelitæ cum pavore reveriti fuerunt. Ita & Gentiles Jovem vocabant timorem hominum, quem homines teſtem, & vindicem timeant. Ergo timor ibi accipitur pro timoris objecto.

*TIMORIS DIVISIO.

Timor eſt quadruplex. Filialis, Initialis, Servilis, & Mundanus. Rationem diviſionis tradit *S.Thomas* 2.2.*q.*19.*art.*2. Quia timor vel avertit à Deo, ut quando timore amittendi ea, quæ in mundo ſunt, Deus deſeritur: eſtque Mundanus: vel convertit ad Deum, eſtque vel pœnæ tantùm, ut quando ad Deum convertimur, ne incidamus in plagas, quas ille immittit ſervis fugitivis: & eſt Timor ſervilis: vel culpæ, ſive offenſæ tantùm, & dicitur Filialis, quia filiorum eſt timere offenſam patris. Vel eſt ſimul pœnæ, & offenſæ, qui appellatur Initialis. Eſtque imperfectus quidam Timor Filialis, adeòque ſecundùm ſpeciem, & ſubſtantiam idem cum illo.

Addunt alii quintum membrum, videlicet Timorem Naturalem, quæ eſt paſſio quædam appetitus ſenſitivi, inſita animanti, qua malum imminens formidamus, & refugimus. De prioribus quatuor ordine agemus.

*DE TIMORE MUNDANO, Ejusque Malitia.

Timor Mundanus, quo quis ita reformidat incommoda hujus vitæ, ut ad ea depellenda non dubitet Deum offendere, ſemper eſt malus. Unde ut ab eo Chriſtus nos avertat, ait, Nolite eos timere, qui occidunt corpus, &c. *Matth. cap.* 10. & vult ab eo liberari David, *Pſ.* 33. dum ait: A timore inimici eripe animam meam.

Tali timore perculſus fuit Petrus, quando negavit Chriſtum. Etiam diſcipuli poſt reſurrectionem congregati latebant propter metum Judæorum.

Adoleſcens, qui de regno cœlorum adipiſcendo quæſiverat, cùm audiviſſet. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.

Judæi cùm timerent, ne tota gens periret, Chriſtum occiderunt.

Licinio Imperatore, Sebaſtæ in Armenia, 40. Milites pro Chriſto fortiter tormenta ſuſtinuerunt: nam & oris contuſionem perpeſſi, media hyeme nudi de nocte ſub aere aperto pernoctare juſſi, ut frigore necarentur, ſic tamen ut haud procul ab illis eſſet balneum tepidum, in quod ſe recipere poſſent, dummodo à fidei conſtantia timore ſuppliciorum avellerentur. Cæterùm illi tenaces ſancti propoſiti perſiſtebant. Unus tamen, cui animus ad ferendum frigus defecerat, in proximum tepefactum balneum inſilierat, ſanctoſque collegas ſummo dolore afficiebat. In cujus locum Janitor, qui vigilans de nocte 39. coronas duntaxat per Angelos mitti ad illos viderat, admirans cur una deeſſet, iiſdem ſe adjunxit. *Brev. Rom.* 11. *Martii.*

Marcellinus Romanus in immani illa Diocletiani perſecutione terrore correptus, Deorum ſimulacris thus adhibuit, at illius peccati cum mox pœnituit, ut Sinueſſam ad Concilium plurimorum Epiſcoporum venerit cilicio indutus, ubi lacrymis profuſis ſcelus ſuum profeſſus eſt. *Idem Breviar.* 26.

☞ *Vide plura in fine hujus loci, ſub Titulo de Timore naturali.*

*REMEDIA CONTRA TIMOREM Mundanum, Sive Humanum.

Præſentaneum huic malo remedium eſt, à viris ſanctis utriuſque paginæ uſurpatum, Deum cogitare in omnibus actionibus præſentem, & in tribulationibus adjutorem.

Hoc utebatur rex David, ne à ſuo propoſito facilè dimoveretur: Providebam, inquiens, Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear. *Pſal.* 15.8.

Eodem ſe muniebat Elias Theſbites, cùm diceret ad Achab: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba. 3. *Reg.* 17.

Hoc clypeo tectus B. Paulus in prædicando Dei Verbo omnem timorem principum, & aliorum proiiciebat. Unde cùm aliquando periculum eſſet, ne diſcerperetur à Saducæis, ſequenti nocte aſſiſtens ei Dominus, ait. Conſtans eſto. Sicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. *Act.* 23.

Ipſe verò 2. *ad Timoh* 4. 16. ita ſcribit. In prima defenſione nemo mihi affuit. Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur. Quæ loca SS. PP. etiam de viſibili præſentia Chriſti intellexerunt.

Eadem de cauſa in ſummo cum dæmonibus certamine aſtitit Chriſtus, ejuſque vulnera ſanavit, *teſte Athan. in ejus vita.*

Sic Romæ aſtitit Petro ante paſſionem, ut robur illi redderet ad omnia mala perferenda pro Chriſti nomine. Nam cùm Petrus diceret, Domine, quo vadis? reſpondit, Vado Romam iterùm crucifigi, ita *S. Ambr. orat. contra Auxentium, & Athan. in Apologia pro fuga ſua.*

Unde *S. Baſil. hom. in Pſal.* 33. Hoc remedium indicans ſic loquitur: Qui dæmonum imaginatione facilè conſternatur, & expaveſcit, hoſtilem in ſe timorem habet. Omninò autem timor, hujuſcemodi perturbatio, nimirum animæ eſſe videtur prognata ex infidelitate. Nam qui Deum, ut adjutorem fortiſſimum credit ſibi adeſſe, nullius vim ſe invadentis pertimeſcit, nec facilè commovetur.

Alterum remedium eſt, ſi timorem Domini majoris, qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam, opponamus iſti tam exili.

Hoc antidoto uſus eſt S. Petrus Apoſtolus, cùm, Sacerdotum Principe præcipiente, ne ampliùs doceret in nomine Jeſu, audacter reſpondit: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. *Act.* 5.

Et ante illum caſta Suſanna, cùm ſola à perverſis duobus ſenibus comprehenſa in pomario, ait: Anguſtiæ mihi ſunt undique. Si enim hoc egero, mors mihi eſt. Si autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini: exclamavit voce magna. *Daniel.* 13.22.

Eleazarus è Scribarum primoribus unus, ætate nonagenarius, dum coactus ab impio rege carnes porcinas comedere contra Dei legem, reſpondet, Etſi (vel carnes vorando porcinas, vel ſimulando me vorare) in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 2. *Macbab.* 6.26.

Eodem remedio uſi ſunt plerique omnes Martyres pro Chriſti fide trucidati, memores dicti Chriſti: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. *Matth.* 10.28.

Eodem pertinet, quod ad populum Antiochenum occaſione trium puerorum ad *Nabuch.* ad clibanum ardentem damnatorum dixit *S. Chryſ. hom.* 6. Tunc, inquiens, fornax accenſa erat, illi verò hanc quidem contempſerunt, peccatum autem timuerunt.

* DE TIMORE SERVILI, EJUSQUE QUALITATE.

S. Thomas ſuprà *art.* 4. Timorem ſervilem quoad ſubſtantiam non eſſe malum: Servilitatem tamen quæ naſcitur ex perverſo amore boni creati, & reſpicit fugam pœnæ ex eo motivo, eſſe malam, cum ſic homo liberè non agat, ex amore videlicet, qui eſt intrinſecum agendi principium; ſed more mancipiorum. Unde illud.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Poteſt tamen eſſe timor ſervilis laudabilis, ſi oritur ex amore boni particularis per pœnam amittendi, & ſit conjunctus timor culpæ: tunc enim laudem meretur, & talis expellere poteſt peccatum. Unde illum ſuaſit S. Joan. Baptiſta, ut homines commoveret ad pœnitentiam: dicens. Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? *Matth.* 3.

Immò Chriſtus *Matt.* 10. Timete eum, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam, & idcircò toties minatur ſupplicia futura, ut eorum timorem conciperemus, & reſipiſceremus.

B. Antonius apud Athanaſium ait, Formido judicii, & pœnarum timor horridus, ſimul & lubricæ carnis incentiva diſſolvit, & ruentem animam quaſi ex aliqua rupe ſuſtentat.

S. Chryſ. hom. 5. *ad pop. Antiochen.* dicit metum gehennæ etiam in anima hominis juſti eſſe militem fortem, & armatum, qui fures, & latrones, omneſque hoſtes longè arceat à domo,

S. Ambroſ.

S. Ambroſ. ſerm. 21. *in Pſal.* 118. ſcribit, Beatos Martyres in agone conſtitutos martyrii, timore gehennæ ante oculos mentis propoſitæ vincere ſolitos earum pœnarum timorem, quia à carnificibus ingerebatur.

S. Hier. ep. 22. *ad Euſtochium de ſervanda virginit.* ait ſe metu gehennæ ſolitudinem, & duriſſimum vitæ genus elegiſſe.

S. Auguſt l. de gratia, & libero arbitrio, c. 18. ait ſanctis viris timorem illum à Deo donari, de quo Dominus ait: Timete eum, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam.

*REMEDIUM CONTRA TIMOREM SERVILEM.

Timor ſervilis quamvis malus non ſit, eſt tamen imperfectus. Ad illum autem repellendum *B. Gregorius in Paſtorali* 3. *part. c.* 14. ſuggerit remedium his verbis: Amovendi ſunt, qui flagella metuunt, ut ſi malis veraciter carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant, neque in ſuppliciorum timore permaneant, ſed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excreſcant. Scriptum quippe eſt, perfecta charitas foras mittit timorem: & rurſum ſcriptum eſt: Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Unde idem Doctor iterùm dicit. Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Si ergo adhuc à prava actione formidata pœna prohibet: profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam procul dubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat ſervitus timoris. Bona enim pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe, quod metuat, ut audacter illicita committat. Unde luce clarius conſtat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur. *Hæc ille.*

* DE TIMORE FILIALI.

Qui propriè eſt Timor Dei, & donum Spiritus S.

Timor Filialis eſt, quem Iſaias numerat inter dona Spiritus Sancti, eumque caſtum alio nomine Theologi vocant, præſupponunt enim illa dona charitatem, cum qua ſervilis timor ut talis conſiſtere non poteſt: & manet ille Timor etiam in altera vita, non ut eſt cum aliqua anxietate conjunctus, ſed ut eſt tremor quidam naturæ ſeipſam cum divina majeſtate conferentis, & abhorrentis à ſeparatione ejuſdem, tanquam à maximo malo, videatur *S. Thom. art.* 11. *Aug. lib.* 14. *de Civ. Dei, cap.* 9.

Ejus Dignitas.

Multis S. Scripturæ teſtimoniis illius Timoris dignitas innoteſcit, ut quæ teſtatur illum Beatum, qui Dominum timet: *Pſ.* 111. *Eccleſ.* 25. Item, nihil eſſe melius quàm timorem Dei. *Eccl.* 23. & *cap.* 40. Timor Domini ſicut Paradiſus benedictionis. Rurſus. Initium vocatur ſapientiæ. Immò & plenitudo, ac corona. *Pſ.* 110. *Eccleſ. c.* 1.

Cæterùm de intellectu hujus ſententiæ, qua timor Domini dicitur initium Sapientiæ, variant doctores, & Interpretes, ut annotavit *Joan. Malderus Epiſc. Antuerp. in ſuo Tract. de Inſtit. & Relig. art.* 7. *q.* 19. Unus intellectus eſt, inquit, quod timor Domini ſit primus effectus ſapientiæ, ita D. Thomas, qui illud explicat tam de timore ſervili, quàm de caſto, & filiali. Similis eſt ſententia *Proverb.* 1. Timor Domini principium ſapientiæ. *Proverb.* 9. Principium ſapientiæ timor Domini. *Eccleſiaſtici* 1. Initium ſapientiæ timor Domini.

Alter intellectus eſt *Janſenii in cap.* 1. *Proverbiorum*, qui putat illa ſententia nō ſignificari unde ſapientia in nobis incipiat operari, ſed unde oriatur; ut ſignificetur, tum demum incipere nos ſapere, quando incipimus Deum timere, accipiendo timorem Dei pro Theoſebia, pietate, & religione in Deum. Quæ explicatio melior eſt, quia *Eccleſiaſtici* 1. dicitur, timorem Dei eſſe radicem ſapientiæ: quæ commodiſſimè ſecundùm poſteriorem intellectum dicuntur. Inchoatus enim timor Domini, qualis in timore pœnæ conſiderari poſſet, inchoata quædam eſt ſapientia: perfectus autem Dei timor, ſive pietas perfecta in Deum, conſummata ſapientia eſt. Approbat hunc intellectum Bellarminus in illud *Pſal.* 110. Alii ſic accipiunt Pſalmiſtæ ſententiam, ut initium pro capite, ac ſumma accipiatur, & ſenſus ſit, quicquid ſummatim habetur de ſapientia, ad timorem Domini referendum eſſe, ita Genebrardus, & parum videtur differre à ſecunda interpretatione.

Utilitas.

Tantam ſpiritualium fructuum copiam ſuppeditat nobis divina Scriptura ex penu Timoris Domini, ut alieno præſidio non admodùm egeamus.

1 Odium mali. Timor enim Domini odit malum. *Proverb.* 8.

2 Depulſio peccati. *Eccleſiaſtici* 1. 27. Timor Domini expellit peccatum.

Undè *Clemens Alexandrinus cap.* 7. *Strom.* Abſtinentiam à malis operatur, qui timet.

Ambr. 1. *Hex. cap.* 4. Qui timet Dominum, declinat errorem, & ad virtutis ſemitam vias ſuas dirigit Niſi enim quis timuerit Deum, non poteſt renunciare peccato.

3 Studium placendi Deo. *Eccleſiaſtici* 2. 19. Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita ſunt ei.

4 Converſio ad vitam meliorem. Qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum. *Eccl.* 7. & *Iſa.* 26. *juxta* 70. A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.

Auguſt. de catechizandis rudibus cap. 5. Rariſſimè accidit, inquit, immò verò nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.

Caſſianus inſtitut. lib. 4. *cap.* 39. Per timorem Dei, & initium converſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia his, qui imbuuntur ad vitam perfectionis, acquiritur.

5 Initium ſapientiæ, & pietatis. *Job.* 27. *David Pſal.* 110. *Prov.* 1. *Eccleſiaſtici* 1.25.

6 Initium fidei, & charitatis. Timor Dei initium dilectionis ejus, fidei autem initium agglutinandum eſt ei. *Eccl.* 25. 16.

7 Cauſa obſervationis mandatorum Dei, & bonorum operum. Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius. Et, Qui timet Deum, faciet bona.

Unde *S. Auguſtinus in ſententiis c,* 17. Ad omne opus bonum amor ducit, & timor Dei. Ad omne peccatum ducit amor, & timor mundi.

8 Conſtantiæ in tentationibus radix. Nam in timore fiducia fortitudinis. Et, qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipſe eſt ſpes ejus. *Proverb.* 1. *Lactantius libro ſexto de vero cultu.* Nemo dubitat, inquit, quin timidi, & imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exilium, aut carcerem, aut mortem, quæ omnia quiſquis non exhorruerit, fortiſſimus judicatur. Qui autem Deum metuit, illa univerſa non metuit. Quod probat exemplo Chriſtianorum martyrum, qui ſolo metu Dei atrociſſima paſſi ſunt ſupplicia.

9 Favor, & miſericordia Dei erga timentes Deum, ipſorumque poſteros. Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. *Pſal.* 10. 2. 17. *Pſal.* 117.4. Et Beatiſſima Virgo apud Lucam. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. *cap.* 1. *v.* 50. & *Eccl.* 10. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum, & *Tob.* 4.23. Multa bona habebitis, ſi timueritis Deum.

10 Affluentia bonorum temporalium. Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Divites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Beatus vir, qui timet Dominum. Potens in terra erit ſemen ejus. Gloria, & divitiæ in domo ejus. *Pſal.* 111. 1.

11 Verum cordis gaudium. Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. *Eccl.* 1. 11.

Hinc *Chryſoſt. hom.* 18. *ad populum.* Dei timor ſtabilis, immotuſque, & tantam emittit lætitiam, ut nullus eos aliorum ſenſus malorum capiat: Deum enim ſicut oportet, timens, & in ipſo confidens voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem habet lætitiæ fontem.

12 Fiducia de felici exitu ex hac vita. In timore Domini eſto tota die, quia habebis ſpem in noviſſimo, & præſtolatio tua non auferetur. *Prov.* 23. 17. Timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.

13 Cuſtodia innocentiæ, & caſtitatis, nam innocentiæ cuſtodem timorem Dei appellat *S. S. Cyprianus ep. ad Donatum.*

Eodem pertinet, quod *S. Ephrem in ſermone de penitentia* ait. Timor Dei velut gladius anceps eſt, omnem concupiſcentiam pravam excidens.

S. Auguſtinus in illa verba, Confige timore tuo carnes meas. Tali, inquiens, timore carnes crucifiguntur, quando carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potius, quàm vitantur, ſpiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem uſque ad perfectionem creſcente victoria perimuntur.

14 Cuſtodia omniū virtutum. Sic enim *S. Hieron. ep.* 127. *ad*